

4.

Epistola domini Francisci Petrarce responsiva ad premissam ^{a)}.

[Vat. cc. 104 v-105 r; Ma.² cc. 51 v-52 r].

Lusi tecum amice, nec luisse me penitet: bonam tibi epistolam ludo extorsi. Ad quam quid opus est multis? Sentio vera esse que dicis omnia. Scio me amari abs te quantum amare hominem potest homo. Neque hymeneos tuos nostre amicitie obstare suspicor, sed favere. Coniugalis enim sarcina, que ut blanda interdum, sic levis est nunquam, quo te acrius premet, eo me dulcius suspirabis. Neque vero silentium tuum in argumentum tepescentis animi traxerim, amicorum omnia bonam in partem trahere solitus.

10 Si tu michi seu colloquio presens, seu absens litteris creber sis, credam te tuis affectibus morem gerere; sin rarior, occupationibus meis: alterum apud me fervidi amoris, alterum discrete verecundeque modestie signum erit. Non est ergo quod vereare, ne quid michi, non dicam de tui amore, sed de tuarum quoque rerum iudicio exciderit: idem totusque es, atque integer, apud meum cor. Hactenus hec. Reliquum est, ut quoniam ad transmarinum iter accingeris, faustam tibi navigationem et votivum reditum precer. Plenum tibi equor, et faventes hinc zephiros eunti, illinc euros redeunti tribuat, non Neptunus atque Eolus — quorum alterum sortitum cum

20 fratribus insularum oreque maritime temporale dominium, alterum quidem tempestatum aiunt, Eoliarum tamen inopem regem Yliacis constat fuisse temporibus, — sed maris et terre celique regnator Xristus omnipotens, de quo scriptum est, qui producit ventos de Salmo 134, 8. thesauris suis; et iterum concludens, sicut in utre aquas maris, Salmo 32, 7. ponens in thesauris abissos. Ille qui imperat ventis ac fluctibus, Ille, inquam, te incolumem comitetur, ac revehat nobis, quos cum cara thori socia desiderio plenos linquis, quique tibi navem ascensuro, una secum dicimus illud Achillee coniugis apud Statium: I Ach. I, 942. felix, nosterque redi. Vale. — Patavi v^o Kalendas Septembris [1362?].

^{a)} Cfr. a pagg. 68, 72, 145, 162.

¹ Ad Paulum de bernardo venetum novum sponsum simulque transfretaturum familiaris epistula Ma.² ¹⁴ Vat. ne. ²⁰ temporalem Ma.² Vat. ²¹ aiunt] sagum Ma.² Vat. ²³ Vat. perducit. ²⁷ Vat. navim. ²⁹ [Nel Vat. è aggiunto *Ille tuns* dalla mano stessa che vergò certe altre postille, e che Novati identifica con quella di Donato degli Albanzani].